
QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XVIII. MENSIS IANVARII, MAGISTRO NICOLAO REGNIER DOCTORE MEDICO MODERATORE.

An Musica in morbis efficax?


NATVRA φιλομέτρῃ quicquid effectum est, in modo, numero & mensurâ creatum, genitum, conseruatumque est: vbique tacitus rerum etiam ἐπιρογεῶν concentus percipitur. Hinc nostræ similis cælorum materia, diuersę licet rationis ab elementari formam, concordi tamen & æternùm duraturo fœdere sustinet; eorumque motus rapaces quamuis & varios, vna tamen, ac sine modulo composita vertigo circumagit. Ista vt in cælis haud parua est ἀλλοτρίων συμμετρία, sic in elementis haud minima, in mixtis maxima, viuentibus & homine magis mira. Ex impari tempestatum horarumque temperie, quam diuersus ille cæli motus & varius solis ac syderum aspectus efficit & influxus, vnum tamen anni dieique curriculum nobis surgit & occidit. Primorum corporum ad vnius mixti, mixtarum partium & humorum ad perfecti animalis generationem formæ licet dissimiles, virtutesque contrariæ, amicâ tamen iunctæ sunt substantiarum qualitatumque εὐκρασίᾳ.


ARMONIAM si tollis corporum! sanum simul & cum ipsis animarum soluis ac vitale connubium, ex iucundo desolatum facis aut præsentis, aut mox affuturæ mortis spectaculum; si tu nescis! vbique corporis satis notam humorum mutam inspice, temperamentorum, partium, facultatum, functionum denique contrariarum εὐμουσίαν & rhythmicam ἀκινησίαν, in cerebri quidem corpore non parùm dubiam, in intestinorum περιστολῇ certissimam, in respirantibus instrumentis manifestam, at nullibi quàm in corde atque ab hoc prodeunte arteriâ magis conspicuam. Horum motus, sit inter se licet & varius & alternus, attrahendo pellendoque vnus cum vitali facultate (nullatenus vt neque cæteris influente) carnosæ cordis substantiæ vnâ fixus & insitus; alter admittendo ipsis dum replentur à sanguine spirituque viuifico arteriarum tunicis impressus, & cadendo congenitus: vtrumque tamen similem in vtroque reddit par seruata musicali rhythmo analoga proportio.


INE rhythmo pulsus omnis est pessimus, qui vt in Musicis temporum ἄρσεως τε καὶ θέσεως est mensura, sic in pulsu διαστολῆς & συστολῆς cùm ad alias, tùm inuicem ratio est atque proportio. Hoc motu duplici & geminâ vtrumque inter quiete positâ constat pulsus, in morbis signum longè quàm vrina præstantius. Æqualis rhythmus sanitatis comes perpetuus. Vtriusque latitudo par, maxima. Hinc alius minimorum est temporum, qui minimis musicorum notis comparatur, qualis puerorum; alius minorum qui semibreuibus, qualis est iuuenum; alius breuium qui breuibus, qualis ætate consistentium; longorum demùm alius, qualis senum, qui duabus longis æquipollet. Sic pro diuersâ naturarum, sexuum, ætatum, temporum, regionum temperie, varia quoque sunt rhythmorum discrimina: quos si quæque suum seruet, inde nascuntur εὔρυθμοι, sanitatis; si commutet in alterum, hinc ἄῤῥυθμοι, παράρυθμοι, ἑτερόρυθμοι aut ἔκρυθμοι in impari manifestâ vel occultâ proportione positi, aut morborum testes aut nuntij.


EC sani modò corporis concentu gaudet animus (cuius & ab illo est sanitas) sed & à corpore vi morborum exulantem sæpe reuocat, atque à sensibus expetitum, horum ab obiectis repetitum in corpus ipsum refundit posusius. Nihil æque mentem vt nec sensus ipsos magis afficit, exhilarat, contristatve, ac percepta ab his τῶν αἰσθητῶν συμμετρία, ἀμετρία. Medius colorum viridis oculorum radios spiritusque summè recreat, discordes sociat, quibus disgregando vel nimium congregando officiunt cæteri. Zibetti, moschi & ambari certâ proportione commixtorum expiratus iucundior quam singularium: qualitatum tactilium saporumque par ratio. Sed multò sæpius irritant animos demissa per aures quàm quæ sunt oculis subiecta. Hinc audita lectis, visis efficaciora; atque mutis iucundiora sunt ludorum cum voce spectacula. Fallendo sæpe ac dissimulando (quod medico in morbis licet) promissa ægris sanitas viso remedio, degustato, sumpto multò potentior; quorum multa licet ἀνάρμοστα καὶ ἄμουσα, sua tamen aliquando visa in salutem ægri produnt miracula. At musici cantus & sonora θεοτερπὴς harmonia longe plurima, quæ auditum disciplinæ sensum feriendo, atque per hunc in animorum intima subeundo, nusquam sanos non iucundâ, ægros non fœlici vtilitate afficit.


ONVS, materiæ & numerus, licet ἀνέργητος, vice formę musicam faciunt; quorum tamen hæc neutrum est, nec vtrumque, nisi certâ ille flexione ac modulo, hic vnius ad alterum sibi inæqualem aut πολλαπλασίᾳ duplâ, triplâ & quadruplâ; aut ἐπιμορίῳ ἐπιτρίτῃ & ἡμιολίᾳ proportionibus sit commensus, compositus. Ex quibus variæ, hac quidē διατεσσάρων, διαπέντε; illa verò διαπασῶν, hæc cum διαπέντε & δισδιαπασῶν symphoniæ promanarunt: quarũ in animis excitandis sedandisque, atque horum simul & corporum demulcendis pellendisque affectibus vis maxima. Tarantulâ icti sumptis licet alexiteriis non curantur, ni musicis instrumentis ad saltandum continuò concitentur. Lymphatici, maniaci, amoris œstro perciti concentibus ac modulis adiuuantur; dolores ischiadici, arthritici, cæterique omnes leniuntur, melancholici recreantur, peruigiles sopiuntur, cataphorici excitantur. Musica Phrygia furores animis & impetum parit; at tranquillitatem Æolia; grauitatem, prudentiam, castitatem Doria; leuitatem iucunditatemque Ionia; luctum Lydia: adeo maximum est harmoniæ in ipsum animum, huius & illius in spiritus & humores imperium! quos huc illuc commouendo, ab affectâ sede in aliam deducēdo, reuellendo, dissidentes cōponendo, excludendo, debitum tandem toti corpori functionũ omniũ tonum restituit.

Ergo Musica in morbis efficax.

Propugnabat Lutetiæ PHILIPPVS HARDVIN DE S. IACQVES, Anno R.S.H. M. DC. XXIV.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. THOMAS GAMARE.
M. ANTONIVS CHARPENTIER.
M. FRANCISCVS PIJART.
M. PETRVS GIRARDET.
M. FRANCISCVS GVENAVLT.
M. IOANNES MERLET. M.R.
M. IOANNES RIOLAN, M. & P.R.
M. ANDREAS LE GROS.
M. IOANNES LE MERCIER.